



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente  
XI. editas

**Luxemburgi, 1739**

XXXVII. Revocatio Conventualitatum a Generalibus S. Joan. Dei  
concessarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

& per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciarum, & Ordinis hujusmodi, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXI. Martii MDCCIII. Pontificatus nostri anno Tertio.

§. 2. Decernentes easdem præsentibus Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, & Conventuum prædictorum, aliisque quibuscumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Maji MDCCIII. Pontificatus nostri anno Tertio.

XXXVII.

Revocantur Conventualitates perpetuæ a Prioribus Generalibus Ord. S. Joan. Dei concessæ.

*Inn. XII. Const. ed. 1693., Maii 20. P. 2. donati fuere dd. Fratres exemptione a Processionibus. Et Bened. XIII. Const. ed. 1727. Jan. 10. P. 3. abolentur eorum privilegia personalia.*

Dat. 10. Maji 1703. An. 3.

CLEMENS PAPA XI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Tres species Conventualitatum, & rationes eas revocandi.

CUM sicut dilectus filius modernus Prior, sive Superior Generalis Ordinis Fratrum Sancti Joannis Dei Nobis exponi fecit, nonnulli Fratres dicti Ordinis Conventualitates perpetuas in particularibus ejusdem Ordinis Conventibus consecuti fuerint, quorum undecim ab hujus Sanctæ Sedis Nunciis, duo a Congregatione infrascriptorum Cardinalium, & reliquæ octo a diversis Prioribus, sive Superioribus Generalibus dicti Ordinis illas obtinuerunt; Conventualitates vero hujusmodi in ministeriis Hospitalibus præstandi præjudicium vergant, & voto obedientiæ, cujus suave jugum dicti Fratres portare detrectant, directe advenentur, ideoque Diffinitorium generale Ordinis prædicti ordinaverit, & Nobis preces pro obtinenda dictarum Conventualitatum abolitione, & revocatione porrigerentur; Nobis propterea dictus Prior, & Superior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Superioris Gen., & Diffinitorii.

§. 1. Nos igitur ipsius Prioris, sive Superioris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis prædictas Conventualitates perpetuas a memoratis Prioribus sive Superioribus generalibus dumtaxat concessas, auctoritate Apostolica tenore præsentium revocamus, & abolemus.

Revocatio Conventualitatum a Prioribus dumtaxat concessarum.

Confirmantur quædam Statuta Congregationis Reformatæ Ord. S. Antonii Viennæ.

XXXVIII.

*Ab Inn. XI. Const. ed. 1678. Feb. 25. P. 2. concessa fuit Indulgentia in festis S. Antonii, Augustini, Monica.*

Dat. 12. Maji 1703. An. 3.

CLEMENS PAPA XI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Militantem Ecclesiæ Regimini per abundantiam Divinæ bonitatis, nullo licet meritum Nostrorum suffragio præpositi illa, quæ pro felici prosperoque Religiosorum Ordinum in Ecclesia Dei pie, sancteque institutorum, ac uberes bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentium gubernio, & progressu provide sapienterque constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis præsidio libenter constabilimus.

Exordium.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Petrus Lovat Procurator Generalis Ordinis Sancti Antonii Viennæ sub Regula Sancti Augustini Canonicorum Regularium tam suo, quam etiam dilectorum filiorum Joannis Danghor Abbatis Superioris generalis, & Diffinitorium dicti Ordinis nominibus, quod Capitulum Generale ejusdem Ordinis, quod novissime, videlicet mense Septembri proxime præterito apud illius Monasterium Abbatiale celebratum fuit, enixe desiderans occurrere malis, quæ Congregatio reformata Ordinis hujusmodi perpessa est, pro felici dictæ Congregationis regimine, & directione, ac germano ejusdem Statutorum sensu, ut inde omnis in posterum controversiæ materies abscederetur, sanctiusque Al-

Causæ in quantum Statutorum Capituli Gener. Mensis Septembris an. 1702.